



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

Bibliopola Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

BIBLIOPOLA LECTORI.

ILLI qui de BULLARIO ROMANO ad CLEMENTEM usque DECIMUM procedente sibi providerunt, longis, procul dubio, abhinc temporibus ardent illius exoptant Continuationem. Quam quidem ego, multorum Illustrum Virorum Romanorum industriâ in colligendis Summorum Pontificum edictis adjutus, multis exarata laboribus exhibeo. Duo in presenti istius Continuationis evulgo Volumina, quæ Bullis Paparum CLEMENTIS X. Successorum, INNOCENTII nimirum XI., ALEXANDRI VIII., INNOCENTII XII., CLEMENTIS XI., INNOCENTII XIII. & S. P. & D. N. D. BENEDICTI XIII. hætenus emanatis absolvuntur.

Tertium memorati Additamenti Volumen jam hodiè madet sub prelo, istudque publico sistet lumini Bullas in precedentibus Editionibus omittas, quibus jungentur illæ quæ à S. S. BENEDICTO XIII. post contentas in Secundo Volumine emanarunt: Celebres admodum Viri Bullas quibus præcedentes destituuntur Editiones, quarumque magnus profectò est numerus, summâ conquiſiverunt industriâ, præ cæteris Illustris quidam S. R. E. Prælatus earum triginta circiter antiquitate materiarumque pondere, Præmonstratensium Ordinem concernente præcipuas, comparavit.

Mirum proinde non est quod una cum reliquis Tertium hoc Volumen publicam adspicere lucem non possit, cum in colligendis quas continet Bullis tantum temporis fuerit infumptum.

Ut illi quibus sunt Editiones Romana seu Lugdunensis, pro comparando sibi Opere completo, singulorum Novæ Editionis Voluminum sumptus facere non sint coacti, Tribus Additamentorum Voluminibus inscripsi titulum CONTINUATIO, Pars Prima, &c.

Romanorum Pontificum effigies hæc quoque, complurium Illustrum Virorum consilio persuasus, planè judicavi omittendas, ex eo quod, ut ad primi Voluminis initium dixi, parum omninò habeant plerumque similitudinis, neque proinde, nisi ad pretium operis hujusce, quod universalis propemodum usus est, valde augendum inserviant.

En, Lector, labores, quos pro hujus Operis perfectione suscepi, & adhuc hodiè suscipere non desisto, retributionis loco à te nihil, nisi amicam eorum, quæ ulteriori illius Continuationi conductura censueris, communicationem exspecto. Vale.

